

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 80. (Neovidensis 1807. Nro. 79.)

Politicum Colloquium de America.

Elysium-Meum.-DieMartis 13.October.(Neovid 29 Sept.1807.)

Sententia:

Non magna ars fuit Americam detegere; modica temeritas, & magrâ portio insperatæ fortunæ ad ejus detectionem sufficere.

L'hist. Gener..

Hoc modo iuvidi Christophori Columbi sermonem inter se conferebant, dum is Anno 1505 post detectam Americam rediret. Rogatus fuit is vice quadam ad cujusdam Magnatis Hispaniæ mensam; cui numerosa accubuit societas, de magna hac detectione cum contemptu sermonem miscens; dubia, atque oppositiones diversas faciens. Columbus omnia hæc quieto, ac pacato excepit animo, longo tempore mutus ut piscis sedebat. Tandem in hæc verba prorupit: Domini mei! Ingenuè fateor Americæ detectionem nullam fuisse quidem artem, cæterum tamen illud quoque ingenuè confiteor, me in his terris rem novam didicisse, cujus Dominationes vestras participes reddam. Quid hoc est? regabant omnes. Jussit is ova (quæ in mensa in promptu erant) in manus sumi, atque ita collocare, ut cuspidibus suis insi-

sterent. Jussui paruere, omnes omnibus viribus in id incubuere, ut ova cuspidibus insisterent, verum cum viderent omnem conatum inanem ac irritum esse, rogatus Columbus, ut monstraret modum, quo id in detectis terris fieri consuevit. Hic acceptum ovum incussit mensæ ita, ut fracta cuspe insisteret mensæ. Hæc profecto nulla est ars, clamabant omnes. Id ipsum & ego affirmo, reposuit Columbus, nullus tamen Dominatorum Vestrarum ad eam devenit cogitationem Sic ego Americam detexit.

Hæc ingeniosa cogitatio deinceps in pluribus casibus in Proverbium abiit.

Multum deinde inquisitum est in eum modum, quo America primos suos Incolas obtinuit. Verum omnes hac de re factæ Hypotheses vacillant. Probabilissima opinio est eorum, qui dicunt, Americæ Incolas originem ex Asia Septentrionali ducere, non tamen a tali Natione, quæ in politiore vivendi ratione jam notabilem progressum fecerat. Et tamen Populus Americanus, jam tempore detectionis, tam diversæ constitutionis corporis, & culturæ fuit, ut ejus origo ab una eademque Natione deduci nequeat.

Europei in Americam venientes, deprehenderunt in hac nova orbis parte homines a se longe diversos. Nonnulli quidem eorum artes aliquas callebant, artis pingendi notitiam aliquam habebant, formabant imagines ex compositione Pennarum Avium, diversos colores referentium. Aedificia struebant, Arbores dese-

cabant, ex quibus naves haud parvas eformabant, quin ferri notitiam, usumque habuerint. Secures & cultri eorum constabant ex acutis lapidibus. Et tamen status eorum fuit rudis, ignorabant enim media ea, quibus animus humanus excolitur, atque perpolitur. Carebant multis rebus, quæ simul cum societate humana exsurrexerunt. Amerani præsertim Meridionalem plagam incolentes ut olim, sic & nunc sunt pigri, somnolenti, Attentionis insveti, debili corporis constitutione, & potissimum imberbes.

Habet America Leones, Tigrides, sed nec ejus magnitudinis, nec generositatis, qua reliquarum orbis Partium Leones & Tigrides pollent.

Equi & probabilis etiam Tauri per Europeanos illuc adlati, nunc copiosi illic reperiuntur. Omnia quæ e Regno animali America possidet, sunt & minora, & debiliora, quam ea, quibus reliquæ orbis partes gaudent. Verum excellit Montibus & Fluviis; abundat nobilibus Metallis, Arborea strudendis ædificiis, Gossipium, Cacao, colorem Indicum, Lignum infectivum, Pelles, Pisces, Cuprum, Zinziber, ceram, Lannam, Saccharum, Herbam Nicotianam, Fabas, Coffeas, Argentum, Aurum, Uniones, Smaragdos, Adamantes, & quod præcipuum est, Solanum Tuberosum America subministrat. Hæc orbis pars facilius impopulari potest, quam Asia, & Africa, quia terram fructiferam habet, & hæc sunt causæ susceptorum bellorum ad Americam expugnandam, &

possidendam. Anglia, quæ possessiones suas in America Septentrionali bello Americano amisit, nunc meliorem ejus partem utpote Meridionalem adpetit, quia hinc Aurum, Argentum, Adamautes, in magna copia eferre potest. Quam magna desideria! Anglia huic suo desiderio initium fecit per oppugnationem Montevideo ad fluvium Plata. Ex hac parte in interiora Americæ Meridionalis penetrare volens oppugnatio jam prosperum successum pollicebatur; dum Londini Systemata formantur, de erigenda via a Buenos Aires per desertum Pampæ usque ad Provinciam Peruanam, dum aurum ex America eferendum jam ponderatur Londini, eique locus paratur, ecce sequentes tristes relationes in Anglia percrebuere:

Londino 14. Septemb. A Generali Whitelocke ex America Meridionali de 10 Julii tristes rumores significantur, quorum sensus sequens est: Postquam copiæ ex Anglia ad Montevideo adpulissent, Generalis Whitelocke nec operæ, nec tempori parcens, nihil eorum, quæ ad expeditionem pertinent, neglexit, ipse maxima cum parte copiarum naves conscendit, ad Montevideo tantum copiarum reliquit, quantum ad defensionem ejus suffecturum arbitrabatur. Die 28. Junii sine ullo impedimento adpulit ad sinum Baraconiæ 30 (Anglicis) miliaribus distantem a Buenos Aires. Quem Hispani Duce Linniers in suis vallis præstolabantur. Hispani

in tres partes divisi, 5. Julii in tribus locis hostem aggressi una divisio Duce Achmouty tam felix fuit, ut locum sibi assignatum, licet magna cum suorum jactura, retinuerit; reliquis duabus divisionibus in aggrediendo hoste fortuna minime favit; una tamen Duce Lumley in eo fuit felix, quod se cum Generali Achmouty conjungere Duce Craufurd potuerit; reliquit arma ponere, victasque manus dare coacti Generalis Liniers hac occasione usus; svasit Generali Whitelocke, ut pars utraque ab inimicitiis abstineret, captivi utrinque redderentur, ut Angli Montevideo Maldonado, & fluvium Laplata cederent, eodem tempore significavit Generali Anglico tantum esse furorem Plebis erga Anglos, ut omnes captivi capite periclitentur, nisi illico hls conditionibus subscripserit.

Die itaque 6 interimalis, 7. vero plena Capitulatio conclusa fuit. 1. Omnes inimicitiae in utraque ripa Fluvii Laplata cessabunt. 2. Copiae Suae Majestatis Regis Angliae adhuc duobus mensibus possidebunt Civitatem & arcem Montevideo. Pars Provinciae a S. Carolo usque Pandam pro Neutrali consideranda erit. Nullas hic inimicitias exercere faserit. Sub hac neutralitate intelligitur solum ea libertas, qua utraque Natio gaudet, ut nimirum de utraque Natione juxta Leges sibi proprias, judicia ferantur. 3. Captivi utrinque libertati restituentur, & quidem non solum illi, qui a tempore adventus copiarum Duce Whitelocke, in captivitatem inciderunt,

verum etiam omnes Suxæ Majestatis Regis Angliæ subditi, qui ab initio exorti belli in America Meridionali libertate privati sunt. 4. ut naves Suxæ Majestatis Regis Britannicæ citius discedere possint, ideo navibus destinatis pro deferendis rebus necessariis ad Montevideo, nulla impedimenta ponentur. 5. Ab hodierno die Copiis Suxæ Majestatis Regis Angliæ 10 dies conceduntur, ut cum suis armis, quæ retinuerunt, rebusque aliis naves conscendere, & ripam Septentrionalem fluvii Laplata occupare possint. 6. Post elapsos duos menses juxta Articulum 2. Civitas & arx Montevideo cum omni re tormentaria in eodem statu, quo fuit ante expugnationem, reddetur. 7. Utrinque 3. Officiales majoris gradus obsides dabuntur, qui eo usque obsides manebunt, donec hæ conditiones impletæ fuerint. Signatum in Fortalitio Buenos Aires, 7. Julii 1807. Subscr. John Whitlocke, Georg. Murray. Santiago-Liniens, Cæsar Balbiani, Bernardus Velaseos. — Illico a signata capitulatione Captivi libertati restituti sunt. Nostra jactura constat 316 mortuis. 674 vulneratis, & 208 viris, quorum sors penitus ignoratur.

Sermones circumferuntur de nova expeditione contra Insulam Madera. Pro hac expeditione 3000 disposita sunt, pro quibus devehendis naves in magno Portu jam paratæ esse feruntur.

Juxta Ephemerides Morningenses noster agendi modus erga Daniam Aulæ

Petropolitanæ displicere videtur, eadem postulat, ut ne Sveci naves nostras amplius in suos Portus recipiant, imprimis autem ne nobis auxilio sint, si bellum cum Russia evitare volunt. Epistola Gottenburgò data, refert, a Russico Ministro Aulæ Svecicæ significatum fuisse, in eum casum, si hæc particeps fuerit belli contra Daniam aut si vel unicam navim in Portum Svecicum ingredi passa fuerit, ab exercitu Russico illico Finnam occupatum iri.

Hoc modo sunt nunc res Anglicæ in America Meridionali, Mirum! in Europa in Insula Seelandia felices & victores erant, in America verò victi sunt! Si itaque damnum à lucro subtrahatur, Residuum efficit Zerum.

G a l l i a.

Parisii 25. Septemb, Regina Hollandiæ adhuc hic moratur, his diebus ad Fontem Bellaqueum profecta est. Hesternus Moniteur sub Articulo Constantinopolitano de 2. Sept. refert: Legatum Anglicum Paget ad Dardanellas voti sui minime compotem redditum fuisse. Classis Anglica ab iis prohibita est. Fraudulenta, ac dolosa Aulæ Anglicæ promissa non sine contemptu rejecta sunt.

In Ephemeridibus de l'Empire dictis leguntur sequentia: Multi credunt, si prope ad Cæsarem accedere, eique Libellum Supplicem porrigere possint, a se rem petitam illico obtentum iri. Multi sæpe inconveniente clamore, & actionibus indecentibus ad

Imperatorem penetrare visi sunt. Hujus rei exemplum priore die Domini, dum Imperator, & Imperatrix in Theatrum veherentur Juvenis quidam non sine scandalo Publici exhibuit. Qui comprehensus & pro exiguo tempore in custodiam ductus fuit, brevi tamen libertati restitutus erant. Hi credere videntur, plus temeritate, quam Scripto sua via Imperatori tradito, effici posse. Ego ipse cum multis aliis vidi. & expertus sum, multos, postquam beneficia seu pro cognatis, seu amicis petita, obtinuissent, dixisse: Scripse Cæsari, quæ Literæ in castra ad Pultulsk, Eylaviam, & Friedland missæ erant. Quam multi sua via in re æqua recurrentes ad Cæsarem miseris semper subvenire paratnm solatio adfecti sunt? Nunquam Literæ, aut scriptum quodcumque ad Cæsarem directum, perit; omnia diligenti examini subjiciuntur, omnes querelæ ad eum penetrant. Pro his enim rebus peculiaris Commissio ordinata est. Nulla res simplicissime licet deducta, aut etiam cum erroribus concinnata, effectum suo caret apud eum Principem, qui oppressos sublevare semper consuevit. Ubi itaque infelicibus talia subsidia præsto sunt, num non gravi animadversione digni censeantur illi? qui aut temeritate aut alio indecenti modo ad Cæsarem penetrare, & rem, quam petunt, consequi volunt.